PARS SEXTA

INSTITVTIONIS GRAMMATICÆ,

DE PROSODIA

SEV

DE QVANTITATE GRÆCA

DE LICENTIIS POETICIS

DE DIALECTIS.

PRO RHETORIBVS.

A P. Petro Gras Societ. IESV.



AVENIONE,
Ex Typographiâ P. OFFRAY, In Foro S. Desiderij.

M. DC. LXV.

Superiorum permissu.



PROLVDIVM.



I eſſet modò, vt fuit olim, initium Diſciplinarum à lingua Græca, plurima nobis hic occurrerent prænotanda: nunc autem cum à Latina lingua ſit nobis auſpicium, hæc vtrique linguæ, communia proſodiæ fundamenta præpono.

1. Eadem eſt ratio pedum tam apud Græcos quam apud Latinos, ſeu in Carminibus Heroicis ſeu in elegiacis, ſeu in iambicis, ſeu in lyricis[1], & pro numero pedum, & pro ratione quantitatis ſyllabarum; Vnde ex Latinis carminihus, tanquam ex re iam cognita, licet intelligere genera verſuum Græcorum.

2. Poſitio, liqueſcentia, crementum vim ſuam obtinent apud Græcos, ſicut apud Latinos.

3. Communis eſt vltima ſyllaba cuiuſque verſus in vtraque lingua.

4. Ex Quantitate Latina, in vocabulis

à Græcia mutuatis, licet interpretari Quantitatem Græcam. Vt in ἀμφίων, ι longum, λυκάων α longum. Sic apud Latinos duxerit Amphion.

5. Maximum eſt diſcrimen vocalium apud Græcos & Latinos: fallor, maxima conuenientia, potiſſimum apud Antiquos, ante Simonidem, teſte Platone in Cratylo, apud quos non erat, η & ω, ſed tantum quinque vocales α, ι, υ, ε, ο; quæ omnes vocales erant indifferentes ad quancumque quantitatem, ſicut apud Latinos a, e, i, o, u. Verum Simonide connectente duo οο in ω, & duo εε in η, manſère deinceps ω & η longæ pictura; & ε, ο breues; ſolæ tres, α, ι, υ indiferentes: quia illis nulla data eſt vocalis longa picturâ. An erat tam difficile Simonidi nectere etiam duo υυ vt Germani faciunt in ſuo vv: & a longum vel notare puncto in ventre, aut deſuper, aut geminare: & ita de iota; à quantis nos difficultatibus bonus ille Poëta exemiſſet? pictura enim ſtatim noſtris oculis obiieciſſet α longum & υ & ι, ſicut offert ο & ε longa, dum pingit ω & η. Vtinam erudito alicui & diuiti veniret in mentem, qui iuberet confici Typographicos trium harum vocalium, vv, a, i, longos characte-

res; & cum his ad experimentum aliquot iliados libros tranformaret transfigurans has tres vocales natura ſua longas. Dixi natura ſua, nam poſitione ſola longæ non transformantur à Græcis, vt apparet in τύπ͂ιοντες, in qua voce ο longum eſt ſola poſitione.

Totius Græcæ proſodiæ intelligentia, atque adeo ars pangendi Carminis Græci ſita videtur potiſſimum in cognitione Quantitatis vocalium indiferentiũ; Deinde in cognitione Dialectorum; Tertio demum in cognitione Poëticæ licentiæ; Quæ tria ſeparatim explicanda tribus diſputationibus, vt quæque diſputatio tanto ſit dilucidior, quo expeditior ab aliarum diſputationum difficultatibus.





DISPVTATIO I.

DE QVANTITATE Vocalium.

QVANTITAS est mensura vocalis, qua pronuntiatur breuiter vel productè. Breuis autem vocalis est ea quæ tantum habet vim & mensuram simplicis vocalis vt ο, ε. Longa vocalis habet vim & mensuram duplicis vocalis, vt ω duplicis ο ο, η duplicis ε ε. Tres indiferentes α, ι, υ, si fuerint natura sua breues habent tantum vim & mensuram simplicis vocalis perinde vt ο, ε. Si fuerint natura sua longæ habent vim & mensuram duplicis vocalis perinde vt η & ω.

ARTICVLVS I.

CANONES GENERALES.

I.

NAtura sua longæ sunt η & ω; & omnes diphthongi; breues autem ε & ο. At

verò α, ι, υ in quibuſdam dictionis ſunt natura ſua longæ, in quibuſdam breues, nullibi per ſe indifentes, niſi ex licentia Poëtarum.

2.

Omnis vocalis flexo notata, vt πᾶν, πῦρ δελφῖνος longa eſt, ſicut ex contractione nata vt τίμαε τίμα, ὄφι, βότρυες βότρυς, quia habent vim duplicis vocalis.

3.

Omnis poſitio facit omnem vocalem antecedentem longam, etiam ε & ο; vt τύπτοντες υ & ο longæ ſunt: Quia duplex conſona habet vim duplicis moræ in pronuntiando.

4.

Poſitio initio vocabuli ſubſequentis, finalem breuem præcedentis ancipitem fat cit vt μέγα ξίφος α finale brene per ſe ſi longum per literam duplicem ſequentem ξ. Ita virg.

Date tela ſcandite muros. Tela ſpondeus. Dixi anticipitem, quia poteſt etiam breuiter vſurpari.

5.

Poſitio mutæ cum vna ε liquidis λ, μ, ν, ρ. Vocalem præcedentem natura breuem ancipitem relinquit; vt πάτροκλος α

& ο ancipites;

Ita ῥυθμὸς, ὕπνος somnus, κεκμακὼς fatigatus τέχνη ars, τεθνεὼς mortuus & similia.

OBSERVATIO.

Dictum est (natura breuem) quia vocalis natura longa seu η & ω, seu α, ι, υ non fit anceps per mutam & liquidam sed remanet longa vt θέατρον α longum: quia muta cum liquida sunt maioris virtutis quam muta sola, ante quam tamen longæ remanent longæ, nec fiunt ancipites. Positio verò mutæ cum liquida ideo facit breuem ancipitem, quia liquida penè confunditur & colliquescit cum tono mutæ, & fiunt vna pene consona.

Quid sibi permittant Poëtæ in vsu huius canonis non est hic explicandi locus sed dum de licentiis Poëticis quæ huius canonis formitatem infringere non debent.

6.

Vocalis ante aliam vocalem in eadem dictione, si longa sit, longa remanet; si breuis natura sit, breuis erit. Vt νάὸς populus, α longum. Inde η & ω & omnes diphthongi positæ ante alias vocales in eadem dictione longæ remanent nec vna aut altera auctoritas Poëticæ libertatis hunc canonem labefactat.

7. Dissoluta

7.

Diſſoluta diphthongo, quæ remanent vocales breues ſunt. Vt ἔυκομος, ἐΰκομος, bene comatus. φυγή fuga ab ἔφυγον à φεύγω fugio. μανία furor à μαίνομαι.

8.

Vocales longæ quæcumque, & omnes diphthongi, poſitæ in fine dictionum, fiunt ancipites, ſi ſequatur dictio incipiens à vocali.

ἄλφα λίσσας χρύσου, λοιμὸν στρατοῦ, ἔχθος ἀνάκτων
Alpha preces Chryſæ, peſtem exercitus, iram regum Continet; vbi στρατοῦ, Pyrrhichius.

ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δέξιος Theoc.
Salit oculus meus dexter. ται, & μευ, breues. Ita virg. inſulæ ionio in magno. Inſulæ dactylus.

OBSERVATIO.

Dictum eſt in fine dictionis: nam in media dictione non licet breuiare longas vocales aut diphthongos, poſitas ante alias vocales; vt canone proximo monueram; niſi ſumma licentia, non imitanda.

9.

Omne nomen neutrum, terminatum in α, ι, υ, habet has terminationes breues.

Vt τὸ σῶμα corpus, τὸ μέλι mel, τὸ ἄςυ vrbs, τὸ κρέας caro, τὸ μέλαν nigrum, τὸ ὀξύ acutum, τὸ λῦσαν quod soluit, τὸ ζευγνῦν cingens; Excipe quæ flexo notantur, πᾶν omne, πῦρ ignis.

10.

Omne femininum adiectiuum, à masculinis imparisyllabis terminatur in α breue. Vt μέλας niger μέλαινα, ὀξὺς acutus ὀξεῖα, λύων soluens λύουσα, λελυκὼς qui soluit λελυκυῖα.

At vero à masculinis parisyllabis in ρος vel ος purum habent α longum; vt καθαρὸς purus, καθαρὰ, ἅγιος sanctus, ἁγία.

Excipe δῖος diuinus δῖα, πότνιος venerandus πότνια, σεβάσμιος augustus σεβάσμια, πέπειρος muturus πέπειρα; habent hæc α breue vt patet ex accentu.

ARTICVLVS II.

TERMINATIONES CASVVM obliquorum.

I.

OMnis terminatio Genitiui singularis in ας, & accusatiui pluralis nominis parisyllabi, & dualis in α, longa est.

Vt τῆς ἡμέρας diei, τὰς μῦσας musas, τὰ μῦσα musæ duæ.

2.

Omnis terminatio, non contracta, nominis imparisyllabi in α, ι, υ breuis est. Vt πιττᾶνι, πιτᾶνα, πιτᾶσι, πιτᾶνας.

3.

Accusatiuus & Vocatiuus, pares nominatiuo, ac eius syllabam seruantes, sunt eiusdem accentus, & quantitatis, atque Nominatiuus. Breues.

Vt ἡ μῦσα, τὴν μῦσαν, ὦ μῦσα.

ἡ θάλασσα mare, τὴν θάλασσαν, ὦ θάλασσα.

ὁ ὄφις serpens, τὸν ὄφιν, ὦ ὄφι.

Longæ. Vt ὁ αἰνείας, τὸν αἰνείαν ὦ αἰνεία.

ἡ φιλία amicitia, τὴν φιλίαν, ὦ φιλία.

ὁ πιτὰν, ὦ πιτάν.

Vocatiui poëtici, ὁ πολυδάμας, ὦ πολυδάμα.

Vocatiui tamen αν ab Homero corripiuntur, vt iliad. 13.

ὦ θόαν ὔτις ἀνὴρ νῦν γ' αἴτιος.

O Thoan nemo virorum in culpa nunc certè est.

4.

Vocatiui parisyllabi in α, ά nominatiuis in ης, breues sunt. προφήτης ὦ προφῆτα, Propheta, πέρσης πέρσα.

ARTICVLVS III.

DE NOTITIA QVANTITATIS per Accentum.

Accentuum intelligentia præcipui eſt momenti ad cognitionem certam quantitatis, vnde his diligenter intellectis; hos habe canones.

I.

ACutus in antepenultima, vel flexus in penultima, vltimam breuem arguunt, Vt *θάλασσα* mare, *μȣ͂σα* muſa, *ἔυχαρις* gratioſus *πλῶσις* caſus; *πέλεκυς* ſecuris, *πῆχυς* cubitus.

Excipe dictiones, in quibus ſunt *αι* vel *οι* finales, quæ licet breues habeantur in accentuũ ratione, at quantitate longæ ſunt.

Deinde illas voces excipe, quarum vltima eſt longa ſola poſitione; nam poſitionis ratio non habetur in accentibus; Vt *πῖδαξ*, fons, *αὖλαξ* ſulcus.

Nota Atticos & Iones ponere accentum in antepenultima etiamſi vltima ſit *ω* vt *ὄφεως* ſerpentis, *αἰνέιεω* Ænææ.

2.

Penultima exiſtente longa, ſi notetur

acuto, arguit vltimam longam; vt λήδα, ὥρα hora, ἄυρα aura, σπείρα cohors; quæ duo vltima habent vltimam ancipitem; vnde si breuias, notabis flexo; αὖρα, Ϛπεῖρα.

3.

A, ι, υ in penultima, si notentur acuto, & vltima sit breuis, breues erunt. Vt ξύλον lignum, φίλος amicus, πολλάκις sæpe, μάλα valde.

ARTICVLVS IV.

DE QVANTITATE VOCALIVM, α, ι, υ, per principia communia.

De tribus his vocalibus græcis α, ι, υ, quas communes appellamus, dari possunt canones generales, provt considerantur, vel in fine dictionum, vel in medio ante alias vocales, vel in cremento nominum & veiborum.

PVNCTVM I.

De A, I, Υ, *Finalibus.*

A, *Longum finale.*

1. IN fine dictionum in α purum, in δα, θα, ρα, quæ notantur acuto in penultima.

φιλία amicitia, δουλεία seruitus, ἀνδρομέδα Andromeda, κισσαίθα Cissætha, ἡμέρα dies.

2. In fine si notentur acuto. Vt καλιά, nidus, φρουρά custodia, μητρυιά nouerca νευρά neruus, οὐρά cauda, ὁρμιά linea piscatoria.

3. Masculina terminata in ας habent α longum, seu substantiua, seu participia. νεανίας adolescens, πυθαγόρας Pythagoras, γίγας Gigas, ἀνδριάς statua, λύσας qui soluit ἱστάς stans.

Excipe hæc adiectiua, quæ habent ας breue. μέγας magnus, μέλας niger, τάλας miser, & vnicum substantiuum λᾶας lapis.

4. Masculina in αν habent α longum; vt πιάν, παιάν, & similia.

5. Monosyllaba in αρ vt κάρ car. ψάρ sturnus, νάρ fluuij nomen.

6. His adde Aduerbia λίαν valde, ἄγαν nimis, ὅταν quando, πέραν vltra.

A Finale breue.

1. In omni communi & feminino oxytono in ας, vt ἡ λαμπάς ἡ παλλάς ὁ καὶ ἡ φυγάς exul.

2. Omnia fœminina in α quæ habent accentum acutũ in antepenultima vel flexum in penultima, vt θάλασσα mare; ἄκανθα spina, ἀλήθεια veritas, γέφυρα pons, ἄγκυρα anchora, δήμητρα Ceres.
μοῦσα musa, σφαῖρα sphæra.

3. Omnis terminatio temporum in α non contractum, vt λέλυκα, λέλυα, ἔλυσα, λύσεια.

4. Omnis terminatio neutrorum in α vt dictum est.

5. Omnis terminatio in α præpositionum, vt παρά, μετά, ἀνά.

6. σύμπαν, ἄπαν, πάμπαν breuiant αν licet ἀ πᾶν longo deriuentur.

I *Finale longum.*

1. In iis quæ sunt duplicis terminationis in ις & ιν; vt δελφίς & δελφίν delphin, ἀκτίς & ἀκτίν radius;

2. In monosyllabis vt λῖς & λῖν, leo, θίς & θίν littus, ἴς & ἴν fibra. Excipe τίς quis breue.

3. Atticum iota finale. Vt νυνί, nunc. δευρί huc, οὑτοσί hic, τουτί id; οὐχί non, breue est.

4. Quæ habent genitiuum in θος, ὄρνις auis μέρμις funiculus.

5. Quæ superant duas syllabas & habent penultimam & antepenultimam breues habent ις finale longum vt κανονίς regula πλοκαμίς coma intorta, καλαμίς arundo piscatoria, βατραχίς ranula, σησαμίς sesamum.

6. Aduerbia per aphæresim formata. Vt ἀνιδρωτί sine sudore. ἀφρικτί sine horrore. ἀναιμωτί sine sanguine & similia.

I *Finale breue.*

1. Omnia terminata in ις non expressa superius vt πόλις vrbs ὄφις serpens, ἔρις contentio.

2. Omnia neutra in ι vt σίνηπι sinapi, φιλόπατρι amans patriæ.

3. Omnis terminatio verborum in μι & σι vt λύοιμι, λύσαιμι, τίθημι, δίδωμι, λύουσι λελύκασι.

4. Omnis terminatio præpositionum vt ἀμφί, περί.

5. Terminatio datiuorum imparisyllabici nominis vt πᾶνι, πᾶσι.

6. Aliqua habentur ancipitis quantitatis terminata in ις. ἀψίς curuatura, βαλβίς carceres, κνημίς ocrea, κρηπίς basis, σφραγίς sigillum, κηλίς macula, κλητίς clauis καρίς & μαινίς piscium,

piſcium genera. Compoſita vt εὐκνήμις καὶ τὸ εὐκνῆμι bene ocreatus.

Υ *Finale longum.*

Monoſyllaba in υς producunt υ, vt apparet ex accentu. μῦς mus, δρῦς quercus ὗς ſus.

2. Diminutiua in υς, vt διονῦς Dionyſiolus, κλαυσῦς Claudiolus, καμῦς Camillulus.

3. Dicatalecta in υς & υν, vt Φόρκυς & Φόρκυν Phorcys, γόρθυς & γόρθυν, Gorthys vrbs.

4. Participia maſculina in υς, vt ζευγνύς cingens, δεικνύς oſtendens.

5. Acutiſona in υς quæ habent υος in genitiuo vt τηθύς, Tethys, ἐρυννύς furia, ὀφρύς ſupercilium, ὀσφύς lumbus, δελφύς vterus, ἰχθύς piſcis, γενύς mentum, πληθύς multitudo, νηδύς venter, ἀχλύς nebula, ἰλύς limus, & vnum paroxytonum ἄρκυς rete.

6. Finita in υς, quæ habent θος in genitiuo, vt κώμυς manipulus.

Excipe κόρυς Galea quæ breuiat υ quia habet κόρυος & κόρυθος in genitiuo.

Υ *Finale breue.*

1. Acutiſona quæ habent υδος in genitiuo, vt χλαμύς læna.

Barytona omnia non expreſſa ſuperius. βότρυς, racemus, πέλεκυς ſecuris, πῆχυς cubitus.

3. ἰχθύς & ἰχθύν in accuſatiuo apud oppianum variam υ; ſicut & συ tu, ἀντικρύ è regione, quod etiam de ὀφρύς ſupercilium videtur dicendum; nam compoſita eius corripiunt υ, vt λεύκοφρυς candidi vir ſupercilij, ὑπέροφρυς, quod patet ex accentu acuto in antepenultima, qui arguit vltimam breuem.

PVNCTVM II.

De Α, Ι, Υ In Cremento.

Crementum longum.

HAbent crementum α, ι, υ longum nomina quorum vltima nominatiui longa eſt. Hic canon ſupponit quæ explicita ſunt proxime ſuperioribus regulis de quantitate finalium α, ι, υ. Vnde hic tantum indicabo.

1. Omne nomen in αν, ιν, & υν habet crementum longum. Vt πᾶν πᾶνος, δελφίν δελφῖνος γόρθυν γόρθυνος. ῥίν ῥινός nares.

2. Nomina in ις vel υς quæ habent θος in genitiuo. Vt ὄρνις auis ὄρνιθος. κώμυς fasciculus κώμυθος. κόρυς Galea κόρυθος habet υ breue & in nominatiuo & in cremento genitiui.

3. Oxytona polysyllaba in ις quorum antepenultima & penultima breuis est. Vt πλοκαμίς πλοκαμῖδος, & cætera superius exposita.

Monosyllaba in αρ, ις, κράς κρατός caput. ψάρ ψαρός sturnus, κάρ καρός car, λίς λιτός pannus tenuis, λὶς λιός leo, κίς κιός vermiculus.

Excipe τὶς τινός quis, ἅλς ἁλός mare, sal, δὶς δἰος Iupiter. Quæ habent crementum breue.

Crementum breue.

Α, ι, υ in cremento breues sunt, si in vltima nominatiui sint breues; hinc sequitur.

1. Omne nomen neutrum non contractum habet crementum breue. Vt τὸ σῶμα corpus, σώματος, μέλι mel, μέλιτος, γόνυ genu γόνυος.

2. Omne nomen in ας oxytonum femininum vel commune vt λαμπάς λαμπάδος, φυγάς exul φυγάδος.

3. Omne nomen in ις vel υς terminationis breuis vt ἔρις contentio ἔριδος, χάρις gratia χάριτος, ἀμαρυλλίς Amaryllis ἀμαρυλλίδος, χλαμύς læna χλαμύδος.

4. Omne nomen quod habet ος purum in genitiuo quæcumque sit vltima nominatiui

Vt μῦς mus μυός, ἰχθῦς piscis ἰχθύος, τηθύς Tethys τηθύος, φόρκυς Phorcys φόρκυος, ὄρνις auis ὄρνιος.

Excipe λῖς leo λιός, κίς verniculus κιός, ἰλύς lutum ἰλύος crementi longi.

5. Terminata in immutabilem ρ. Vt πῦρ ignis πυρός. μάρτυρ testis μάρτυρος δάμαρ vxor δάμαρος.

Excipe monosillaba in αρ vt dictum est superius, κάρ καρός, & similia.



APPENDIX

DE CREMENTO NOMINVM in duplices ψ & ξ.

Ψ

NOmina in ψ ſunt crementi breuis ſeu præcedat α, vt ἄραψ ἄραβος λαῖλαψ λαίλαπος Turbo. Seu ι, vt χέρνιβος pollubrum, κατῆλιψ κατήλιφος ſcala, αἰγίλιψ αἰγίλιφος petra caparia. Quibus adde compoſita ά τρίψ, vt παιδότριψ, βος prædotriba, οἰκότριψ verna, ἁλότριψ piſtillum ſalis. Seu υ vt χάλυψ χάλυβος Chalybs, κινυψ κίνυφος cinyps.

Excipe monoſyllaba, γρύψ γρυπός Gryps, γύψ γυπός vultur. ῥίψ ῥιπός vimen textile. ἴψ ἰπός vermis cornarius, φάψ φαβός. Palumbus; quæ omnia ſunt crementi longi.

ξ

Nomina in ξ terminata, multas patiuntur & difficultates & exceptiones, quo

ductus ſum vt ab aliorum nominum crementis hæc abſcinderem vt in hac appendice de iis ſigillatim diſputarem, diſtinctis articulis in tres ancipites α, ι, υ id eſt in αξ, in ιξ, in υξ.

Αξ

Nomina in αξ ſunt crementi breuis, vt κόραξ coruus κόλαξ adulator, φύλαξ cuſtos, πίναξ tabula ἄβαξ abacus, ἄνθραξ carbo, ἅρπαξ Harpago & raptor, στύραξ ſtyrax, ἡ κλῖμαξ ſcala, μύσταξ myſtax, ἡ μάσταξ mandibula, ἡ λάρναξ vrna, ὁ ἡ πῖδαξ fons, ἡ αὖλαξ ſulcus, ἡ πλάξ tabula.

Excipit Laſcaris plurima, ſed incertis & fallentibus regulis; vnde hic apponentur quæ occurrunt, ſi quæ inter legendum Poëtas ſe obtulerint hic adſcribantur; producunt igitur crementum.

θώραξ thorax, φαίαξ Phæax, πλούταξ diues valdè, οἴαξ, temo, κόρδαξ cordax, ἱέραξ accipiter. ῥάξ acinus.

Ιξ

Nomina in ιξ breuiant crementum vt θρίξ capillus, στίξ ordo, ὕστριξ hyſtrix, κίλιξ cilix, ἕλιξ inuolucrum, ἧλιξ coætaneus, ἡ χοῖνιξ chœnix.

Excipe τέτιξ Cicada, πέρδιξ Perdix, μάστιξ flagellum, σμῶδιξ vibex, φοίνιξ Phœnix, σκάνδιξ scandix, ἄϊξ impetus, βόμβυξ bombix, σπάδιξ color quidam in equis.

Potissimum Gentilia θρήϊξ thrax, θέμμικες φοίνικες, δέρβικες, αἴθικες. Præter κίλικες, breue.

υξ

Nomina in υξ sunt breuis crementi, vt στύξ styx, πτύξ plica, ὄνυξ vnguis, ἡ πτέρυξ ala, ἡ ἄμπυξ reticulum, ἡ κάλυξ folliculus, ἔρυξ Eryx mons.

Excipe κόκκυξ cuculus, βόμβυξ Bombyx, κήυξ ceix, δοίδυξ pistillum.

Ancipitis sunt crementi κήρυξ præco, βέβρυξ Bebryx.

PVNCTVM III.

De Α, Ι, Υ *Longis ante vocales.*

Α

A longum est.

1. In nominibus in αων crementi breuis. Vt μαχάων λυκάων.

2. In oxytonis in αος & αϊς. Vt ναός templum; λαός populus cum compositis

νικόλαος. θαΐς, Thaïs ναΐς Naïs. Quibus adde αμφιάραος Amphiaraus.

3. In quibusdam primigeniis cum eorum deriuatis. Vt ἄω ſpiro inde ἀὴρ aër, ζαής fortiter ſpirans, εὐαής ſuauiter ſpirans & ſimilia.

λᾶας lapis inde λαέρτης Laertes, λάϊνος lapideus. ἀΐσσω irruo, inde πολυάϊξ multi impetus.

ἄορ enſis habet α anceps, vel ἄορ.

I & Υ.

Ι Longum.

1. In nominibus in ιων crementi breuis vt ἀμφίων ἀρίων & ſimilia.

ὠρίων tamen & χρονίων habent ι anceps quia habent etiam crementum longum & breue ὠρίωνος & ὠρίονος.

2. Subſtantiua oxytona in ιος; vt κριός Aries, ἰός ſagitta vel venenum.

3. Quædam primigenia cum deriuatis. vt ἰώ, Io. Inde ἰώνιος Ionius. ἰάομαι' medeor, inde ἰατὴρ medicus ἀνία triſtitia inde ἀνιάζω contriſto.

Anceps habetur ἱερός cum deriuatis, ἱέραξ.

4. Quædam primigenia cum deriuatis habent υ longum vt ἐνυώ Bellona, ἐνυάλιος Bellicoſus.

μύων

μύων musculus μυώδης musculosus.

ARTICVLVS V.

DE COMPOSITIS.

1.

COmposita seruant quantitatem primitiuorum ex quibus componuntur. Ita γυνή mulier υ breue, & ἀνδρόγυνος Androgynus; θύμος habet υ longum & μεγάθυμος magnanimus. τιμή ι longum & τιμόθεος Timotheus.

2.

Si prior pars compositionis desinat in α, ι, υ, erunt illæ breues.

Ita μεγάθυμος γα breue, λυσιμελής, σι breue. πολύδωρος Polydorus λυ breue.

Inde composita ab α priuante, & ά particulis ζα, ἀρι, ερι, βρι, δυς habent hæc omnia breuia vt ἄκοσμος inornatus, ζάθεος diuinus, ἀρίδηλος clarus, ἐριβώλαξ ferax, βριάραξ Robustus δύσερως perditè amans.

ARTICVLVS VI.

DE DERIVATIS.

Numerantur deriuata admodum octo Grammaticis Patronymica, Gentilia, Diminutiua, Comparatiua, Superlatiua, Denominatiua Verbalia, Numeralia, de quibus ea tantum exponam quæ erunt ad captum tironum accommoda.

1.

PAtronymica in αδης & ιδης corripiunt penultimam.
Vt ἱπποτάδης Hippotades, νεστορίδης Nestorides, ἡλιάδης Heliades.

Patronymica in ινη producunt penultimam.
Vt ἀδρασίνη, filia adrasti, νηρίνη filia Nerei ἡρωίνη Heroina.

2.

Gentilia in ανος, ανις, ατης, ατις, ιτης, producunt penultimam.
Vt γερμανός, ἀλανός, καρμανός, κροτωνιάτης σπαρτιάτης & feminina σπαρτιᾶτις, καρυᾶτις ἀσιᾶτις, συβαρίτης.
Excipe γαλάτης, δαλμάτης, σαρμάτης penultimæ breuis.

3.

Diminutiua in αριον, ιδιον, ακιον, & similia corripiunt antepenultimam.
Vt ἐσχάριον foculus, δορκάδιον parua dorcas, πηρίδιον perula, πιτάκιον tabula.

Excipe quæ à primitiuis penultimam producentibus deriuantur vt θωράκιον parua lorica quia θώραξ producit α in θώρακος. Ita οἰάκιον paruus temo ἰχθύδιον pisciculus. Quia ἰχθύς habet υ productum & similia.

Diminutiua in ιδευς, in ιλος & υλος corripiunt penultimam.
Vt λαγιδεύς lepusculus, περδικιδεύς perdicula, χοιρίλος porculus, ἐρωτύλος amorculus.

4.

Superlatiua in τατος & comparatiua in ιων breuem habent penultimam.
Vt σοφώτατος sapientissimus, πραότατος humanissimus, καλλίων pulchrior. Hanc tamen penultimam ιων communem aliqui arbitrantur quod sæpius à Poëtis producatur.

5.

Numeralia in ακις vel ακι corripiunt penultimam vt τετράκις quater, πεντάκις quinquies.
At in ακοσιος producunt α vt διακόσιος

ducentesimus, τριακόσιος trecentesimus.

6.

Corripiunt penultimam neutra in ανον & οσυνον vt ζόανον simulacrum, ὄργανον instrumentum, δρέπανον falx λείψανα reliquiæ μνημόσυνον monimentum.
Adiectiua in συνος, vt γηθόσυνος lætabundus θάρσυνος confidens.
Feminina in οσυνη vt δικαιοσύνη iustitia, ἀφροσύνη stultitia.
Feminina in υτης vt βραχύτης, breuitas βραχύτης tarditas, γλυκύτης dulcedo.

7.

Denominatiua & possessiua in ινος corripiunt penultimam & αλεος antepenultimam.
Vt ἀνθρώπινος humanus, κέδρινος cedrinus, σάρκινος carneus, λίθινος lapideus, ἡμερινὸς diurnus, νυκτερινὸς nocturnus, χειμερινός hibernus, θερινός æstiuus.
θαυμαλέος admirandus, διψαλέος sitibundus, σμερδαλέος terribilis

8.

Nomina propria in αιος, ατης, ιτης producunt penultimam, cum feminis ab iis formatis.

Vt ἰουλιανός Iulianus, κλαυδιανός Claudianus, τυριδάτης εὐφράτης, θερσίτης.

9.

De verbalibus nihil aliud monuerim nisi recurrendum esse ad quantitatem penultimæ eius verbi à quo deriuantur vt θεατής spectator, θεατός spectabilis, θέαμα spectaculum, θέατρον theatrum producunt penultimam, quia á θεάομαι quod habet α longum. δυνατός qui potest, ἀδύνατος qui non potest corripiunt penultimam quia á δύναμαι quod habet α breue & ita de aliis verbalibus.

10.

Feminina quæ seruant vocalem masculini seruant & quantitatem vt λύσας qui soluit, λύσασα penultima longa, στάς στᾶσα πᾶς, πᾶσα. δεικνύς δεικνῦσα.

DE QVANTITATE Verborum.

Quantitas Verborum his nititur fundamentis.

Primum.

Quantitas temporum Indicatiui est ratio, & mensura quantitatis omnium mo-

dorum, quæ ab illis formantur : ita vt præsens Indicatiui sit lex omnium præsentium; præteritum præteritorum, & ita de aliis.

Secundum.

Disputatio de quantitate Verborum intelligenda est de penultima thematis; cuiusmodi sunt; λυ in verbo λύω; γρα in verbo γράφω, & ita de aliis.

Tertium.

Qualis est quantitas præsentis indicatiui, talis est & aliorum temporum, si inuariata manet penultima. Inde stabilienda quantitas penultimæ præsentis indicatiui seu thematis, quæ debet esse mensura quantititatis totius pene verbi, nam augmenti & terminationum quantitas per se nota est.

DE QVANTITATE penultimæ.

De tribus tantum vocalibus α, ι, υ. positis in penultima thematis verborum, disputatio instituitur : quæ vel ponuntur ante terminationem ω, vt πίω, κλάω, θύω, vel ante consonas characteres verbi, vt τύπτω, κλύζω, ἰθύνω; λαμβάνω, φράζω, ῥίπτω, πολεμίζω, κρίνω. De istis potissimum termina-

tionibus difficultas est, de quibus sint hi Canones.

De α, ι, υ, ante Consonas

IN PENVLTIMA Thematis.

1.

α, ι, υ, positæ ante consonas characteres verbi; natura breues sunt, licet in aliquibus sint positione longæ.

Ante duas consonas σκάπτω fodio, τύπτω verbero, νίπτω lauo, ὀρύπτω fodio.

Ante duplices; φράζω dico, κλύζω mergo, ἐρίζω contendo.

Ante consonas simplices, γράφω scribo γλύφω sculpo, κνίθω titillo.

His adde verba in ανω, λαμβάνω capio, ἁνδάνω placeo; duobus exceptis ἱκάνω venio, & κιχάνω longæ penultimæ, & φθάνω præuerto ancipitis.

Excipe ab hoc canone verba in ινω, υνω, υρω, & υχω. Vnde fit.

2.

ι, vel υ in verbis quintæ classis, & υ ante χ in penultima thematis producuntur.

Vt κρίνω iudico, κλίνω reclino, μολύνω conta-

dorum, quæ ab illis formantur : ita vt præsens Indicatiui sit lex omnium præsentium; præteritum præteritorum, & ita de aliis.
Secundum.

Disputatio de quantitate Verborum intelligenda est de penultima thematis; cuiusmodi sunt ; λι in verbo λίω ; γρα in verbo γράφω, & ita de aliis.
Tertium.

Qualis est quantitas præsentis indicatiui, talis est & aliorum temporum, si inuariata manet penultima. Inde stabilienda quantitas penultimæ præsentis indicatiui seu thematis, quæ debet esse mensura quantititatis totius pene verbi, nam augmenti & terminationum quantitas per se nota est.

DE QVANTITATE penultimæ.

De tribus tantum vocalibus α, ι, υ. positis in penultima thematis verborum, disputatio instituitur : quæ vel ponuntur ante terminationem ω, vt τίω, κλάω, θύω, vel ante consonas characteres verbi, vt τύπτω, κλύζω, ἰθύνω ; λαμβάνω, φράζω, ῥίπτω, πολεμίζω, κρίνω. De istis potissimum termina-

tionibus difficultas est, de quibus sint hi Canones.

De α, ι, υ, ante Consonas

IN PENVLTIMA Thematis.

1.

α, ι, υ, positæ ante consonas characteres verbi; natura breues sunt, licet in aliquibus sint positione longæ.

Ante duas consonas σκάπτω fodio, τύπτω verbero, νίπτω lauo, ὀρύπτω fodio.

Ante duplices; φράζω dico, κλύζω mergo, ἐρίζω contendo.

Ante consonas simplices, γράφω scribo γλύφω sculpo, κνίθω titillo.

His adde verba in ανω, λαμβάνω capio, ἁνδάνω placeo; duobus exceptis ἱκάνω venio, & κιχάνω longæ penultimæ, & φθάνω præuerto ancipitis.

Excipe ab hoc canone verba in ινω, υνω, υρω, & υχω. Vnde fit.

2.

ι, vel υ in verbis quintæ classis, & υ ante χ in penultima thematis producuntur.

Vt κρίνω iudico, κλίνω reclino, μολύνω conta-

mino, ἰθύνω dirigo, φύρω misceo, σύρω traho, ψύχω refrigero, βρύχω strideo.

De α, ι, υ, ante ω.

IN PENVLTIMA Thematis.

1.

α ante ω in penultima thematis, si præcedat vel ρ, vel altera vocalis longum est, vt φυράω misceo, περάω transeo, ἐάω sino.

2.

α ante ω in in penultima thematis, si non præcedat ρ vel altera vocalis, breue est. Vt γελάω rideo, θοινάω epulor πεδάω vincio, λοχάω insidior.

3.

ι vel υ ante ω in penultima thematis habetur anceps, vt τίω honoro, χρίω vngo, φθίω corrumpo, λύω soluo, θύω macto, μηνύω significo.

De α, ι, υ.

IN PENVLTIMA Futuri.

1.

ᾱ, ῑ, ῡ in penultima futuri, sequuntur

tur quantitatem penultimæ thematis. Inde breues sunt.

1. In verbis in ζω & υζω & αζω. ἐρίζω contendo, ἐρίσω, κλύζω mergo, κλύσω, φράζω loquor, φράσω.

2. In verbis in αω non precedente ρ vel vocali, vt γελάω Rideo, γελάσω, πεδάω vincio πεδάσω.

Longæ sunt in futuris verborum in αω præcedente ρ vel vocali, vt φυράω misceo φυράσω, ἐάω sino ἐάσω.

Ancipites sunt in futuris verborum in υω, vel ιω, vt τίω honoro τίσω, θύω macto θύσω.

Excipe futura verborum quintæ classis, quæ habent penultimam thematis longam. Vnde

2.

Futura verborum quintæ classis habent penultimam breuem, quæquunque sit penultima thematis.

Vt κρίνω iudico κρινῶ, ἰθύνω dirigo ἰθυνῶ, φύρω misceo, φυρῶ, ψάλλω ψαλῶ.

De α, ι, υ.

IN PENVLTIMA Aoristi. I.

α, ι, υ In penultima Aoristi primi sunt

eiusdem quantitatis, atque in Futuro, à quo formatur.

Inde breues in verbis in ζω.

φράσω ἔφρασα, κλύσω ἔκλυσα, ἐρίσω ἤρισα.

Deinde in verbis in αω, non præcedente ρ vel vocali, vt γελάσω ἐγέλασα. πεδάσω ἐπέδασα.

Longæ sunt in verbis in αω præcedente ρ vel vocali, φυράσω ἐφύρασα. ἰάσω ἴασα.

Ancipites in verbis in ιω, vel υω, vt πίσω ἔπισα, λύσω ἔλυσα.

Excipe aorista prima verborum quintæ classis, quæ non sequuntur quantitatem penultimæ futuri, à quo formantur, Vnde fit canon.

2.

Penultima aoristi primi verborum quintæ classis est semper longa, quæcumque sit penultima futuri, vt κρινῶ ἔκρινα, μολυνῶ ἐμόλυνα, φυρῶ ἔφυρα.

De α, ι, υ.

IN PENVLTIMA Præteriti.

1.

α, ι, υ. In penultima præteriti sunt eiusdem quantitatis atque penultima aoristi

primi, à quo formatur; Ita breues ſunt in verbis in ζω, πέφρακα, κέκλυκα, ἥρπακα. In verbis duplicis conſonantis, τέτυφα, ἔσκαφα, νένιφα, ὤρυχα. In verbis ſimplicis conſonæ, γέγραφα, γέγλυφα. In verbis in αω non præcedente ρ, vel vocali, γεγέλακα, πεπέδακα.

Longæ ſunt in verbis in αω præcedente ρ vel vocali, vt πεφύρακα, τεθέακα, γεγήρακα, in verbis in υχω, ἔψυχα, βέβρυχα.

Ancipites ſunt in verbis in ιω vel υω, τέτικα, λέλυκα, ſæpius producta.

Excipe verba in ινω & υνω, quæ breuiant penultimam, licet in aoriſto 1. produxerint, vt κέκρικα, κέκλικα; τέθυκα.

2.

Imperfectum ſemper ſequitur quantitatem thematis, & plusquam perfectum præteriti; vnde de his duobus temporibus nihil eſt in particulari præcipiendum, quia inuariatam ſemper ſeruant penultimam temporis à quo formantur.

3.

α, ι, υ, In penultima aoriſti 2. & futuri 2. inde formati, ſemper breuis eſt, niſi poſitione producatur, vel augmento in diſſyllabis.

Inde ἔλαβον & λαβῶ, à λαμβάνω, seu λήβω, ἔτραγον & τραγῶ à τρώγω breuiantur.

Ita ἔλιπον & λιπῶ à λείπω. ἔφυγον & φυγῶ à φεύγω breuiantur, ἔκρινον & κρινῶ à κρίνω & similiter in omnibus verbis; vnde de aoristo 2. nihil erit amplius præcipiendum vel de futuro 2.

Quæ positione longa sunt, si fiat metathesis consonantium breuiantur; vt ἔδρακον pro ἔδαρκον à δέρκω, ἔπραθον pro ἔπαρθον à πέρθω.

Excipe vnicum ἔπληγον à verbo πλήσσω, cum significat percutere corpus, quia tunc breuiatur, & habet ἔπλαγον.

4.

In reliquis temporibus omnium modorum. Imperatiui, Optatiui, Subiunctiui Infinitiui, Part. eadem est quantitas penultimæ, quæ est in temporibus Indicatiui, à quibus formantur. Quod semel monuisse satis erit, si quid occurrerit anomaliæ, de eo separatim dicetur, vel in licentiis Poëticis, vel in Dialectis.

5.

Omnes tertiæ personæ pluralis in σι debent habere penultimam longam; vt λελύ-

κασι dissoluerunt, τιθέασι ponunt, δεικνύασι ostendunt.

α, ι, υ, Sunt eiusdem quantitatis in omnibus personis atque in 1. τέτυφα, τετύφατον, τετύφαμεν, υ & α vbique breuibus, κέκρικα κεκρίκατον, ι & α vbique breuibus.

Excipe 1.

Verba in μι à verbis in αω, vt ἵστημι ab ἱστάω, quæ in præsenti & imperfecto breuiant α, in duali & plurali, licet in singulari producant, vt ἵστατον, ἵαμεν, ἵστατε, & ita de aliis.

Item in Passiuo ἵσταμαι, ἱστάμην, ἱστάμενος, & ita de similibus α breuiatur.

Ita in Imperatiuo ἵσταθι, & in Infinitiuo ἱστάναι; quia formantur á 1. plurali, quæ breue habet α, ἵσταμεν.

Excipe 2.

Verba in υμι in præsenti & imperfecto quæ producunt υ in singulari, quod tamen breuiant in duali & plurali, δείκνυμι δείκνυς υ longũ, δείκνυτον, δείκνυμεν, δείκνυτε, υ breue. Inde pariter in Imperfecto, ἐδείκνυν, in singulari υ longum, in duali & plurali breue.

Ita in Imperatiuo δείκνυθι in Infinitiuo δεικνύναι υ breue, ob rationem superius allatam, in ἵσταθι ἱστάναι.

Ita in Passiuo δείκνυμαι, ἐδεικνύμην, δεικνύμενος, υ breue.

Aoriſtum 2. verborum diſſyllaborum in υμι ſeruant υ longum in plurali & duali, ſicut in ſingulari, ἔδυν, ἔδυς, ἔδυ, ἔδυτον, ἐδύτην, quia alia verba in μι ſeruant etiam longas in duali & plurali aoriſti 2. præter ἵθημι, & δίδωμι.





DISPVTATIO II.

DE LICENTIIS Poëticis.

Hic breuiter explicabo, quid ſibi permittant Poëtæ Græci in omni parte orationis, & in modo ſcribendi carminis; Vnde ſit.

ARTICVLVS I.

DE LICENTIIS IN Verbis.

I.

IN Verbis in *αω*, vbi fit contractio in *ω*, ſi præcedat longa ſyllaba, addunt *ω*; vt *τιμάω τιμῶ*, quia τι eſt longum dicunt *τιμώω*; *τιμάομεν τιμῶμεν*, Poët. *τιμώωμεν*, *τιμάουσι τιμῶσι*; Poët. *τιμώωσι*.

Si fuerit ſyllaba præcedens breuis, additur *ο*; vt *βοάω βοῶ*, Poët. *βοόω*; *βοάομεν*

βοῶμεν, Poët. βοόωμεν; βοάουσι βοῶσι; Poët. βοόωσι.

2.

In iisdem verbis, vbi contractio fit in α, addunt Poëtæ alterum α, soluto accentu flexo. ἡμᾶς Poët. ἡμάας; ἡμᾶτον, ἡμάατον; βοᾶς, βοάας, βοᾷ βοάᾳ, & ita in aliis personis.

3.

Formant Poëtæ verba in μι, sine reduplicatione. φίλημι non πεφίλημι, amo. νόημι intelligo: vel repetunt duas priores thematis, vt ἀλάλημι pro ἄλημι: aliquando inserunt μ ante π, emphasis gratia, πίμπλημι à πλέω pro πίπλημι; ita πίμπρημι.

4.

In personis dualis & pluralis seruant pro arbitrio longas penultimas in præsenti & imperfecto verborum in μι. Vnde τίθετον Poët. τίθητον; ἵθεμεν Poët. ἵθημεν; & ita de aliis.

5.

Formant imperfectum in σκον, & passiuum in σκόμην, & quidem á 2. persona singulari, ἔλυον, ἔλυες, ablato augmento λύες, addita syllaba κον, λύεσκον, λύεσκες, λύεσκε, λύεσκον. Vtuntur autem in tribus tantum personis singularibns, & tertia plurali.

εἶχον ablato augmento ἔχον ἔχες; ἔχεσκον.

Si ſit diphthongus aufertur iota ἐφίλεις, φιλες, φίλεσκον. Si ſit longa mutatur in ſuam breuem τίθημι ἐτίθην ἐτίθης, τίθες, τίθεσκον, ἐδίδων ἐδίδως δίδος δίδοσκον.

Idem fit in vtroque Aoriſto.

ἔλυσα, ἔλυσας, λύσας, λύσασκον, λύσασκες, &c. ἔλυον, ἔλυες, λύες; λύεσκον, λύεσκες, λύεσκε, &c.

Idem fit in imperfecto Paſſiuo, quod formant ab Actiuo, mutata terminatione ον in ομην; λύεσκον λυεσκόμην, λύεσκου, λύεσκετο, λύεσκοντο.

6.

Poëtæ retinent longos characteres, in paſſiua voce, verborum in μι; ὄνημι ὄναμαι Poët. ὄνημαι; ita ἵσημαι, δίδωμαι, & ita de aliis.

7.

In Aoriſtis paſſiuis verborum in νω, quæ amiſere ν in præterito, illud ν adiiciunt; vt κρίνω κέκριμαι ἐκρίθην, Poët. ἐκρίνθην.

Verborum autem in αινω Aoriſtis addunt alterum α; φαίνω πέφαμμαι ἐφάνθην, Poët. φάανθην, ablato augmento.

8.

Augmenta temporum, pro arbitrio, vel addunt, vel adimunt. Vt ἔλυον ſoluebam

vel λύον. ἐλέλυτο solutus erat, vel λέλυτο, vel ἔλυτο, vel λύτο sine vllo augmento. Fit hæc præcisio augmenti in omni modo: vnde δέχθαι pro δεδέχθαι á δέχομαι; δέγμενος pro δεδεγμένος susceptus; in quo notas retrahi accentum in antepenultimam, dum præcinditur augmentum.

9.

Literam ρ vel omittunt, ἐῤῥιπτον, Poët. ἔριπτον, vel ῥίπτον, vel præponunt, ῥέρεφα. Obserua notari ῥ spiritu denso, cum proximum aufertur; ἔριπτον pro ἔῤῥιπτον.

10.

Repetunt primam thematis, non modo in præterito, sed in aliis quoque temporibus: eamque propagant ad omnes modos.

Ταζω extendo, Aor. 2. ἔταγον, Poët. τέταγον, in Part. τεταγών. κάμνω laboro, Aor. 2. ἔκαμον, Poët. κέκαμον. λαμβάνω capio, Aor. 2. med. ἐλαβόμην, Poët. λελαβόμην.

11.

Pro arbitrio geminant σσ in Futuris, & Aoristis primis: vt τελέω perficio, τελέσω vel τελέσσω, ἐτέλεσα, vel ἐτέλεσσα.

12.

Tempora flexa quæ Iones dissoluunt per ε, & acutum, illi ε, Poëtæ addunt ι: vt νέμω Fut. νεμῶ, Ion. νεμέω, Poët. νεμείω. φιλῶ, φιλέω, φιλείω. ἡμῶν nostrum, ἡμέων, Poët. ἡμείων, ἡμεῖς Ion. ἡμέες, Poët. ἡμείες, ὦ fuerim, Ion. ἔω, p. εἴω, εἴης, εἴη.

13.

In compositis ex præpositionibus mira vtuntur varietate, ex regulis orthographiæ.

1. Abiiciunt vltimam vocalem etiam sequente consona: vt ἀναδύομαι emergo, Poët. ἀνδύομαι. ἀνάδιχα Bifariam, ἄνδιχα. ἀνάδεμα vitta. ἄνδεμα; & ita de aliis; vt καθέθανε mortuus est, Poët. κάτθανε κάθθεσαν, pro καθέθεσαν deposuerunt; πάρθεσαν pro παρέθεσαν apposuerunt; παρμένω pro παραμένω permaneo.

2. pro ratione orthographiæ, præcisa vltima vocali, vertunt ν & τ in varias consonas. Vt ν in λ ἀλλύω, pro ἀναλύω resoluo.

In γ vt ἀγχαλάω relaxo, pro ἀναχαλάω.
In μ. Vt ἀμβαίνω ascendo, pro ἀναβαίνω.

ἀμμίγνυμι permiſceo, pro ἀναμίγνυμι.
ἀμπαύω quieſco, pro ἀναπαύω. ἀμφέρω refero pro ἀναφέρω.
τ præpoſitionis κατα in eas conſonas conuertunt à quibus verbum incipit.
Vt καβϐαλε, pro κατέϐαλε deiecit.
καδδ᾽ἔβαλε, pro κατά δὲ ἔβαλε deiecit vero.
καδδ᾽ἔπεσε pro κατέπεσε δὲ decidit vero.
κακκρύπτω abſcondo, pro καταχρύπτω.
καχχεύω effundo, pro καταχεύω.
καλλείπω derelinquo, pro καταλείπω.
καμμύω, pro καταμύω oculos claudo.
καννεύω annuo, pro καταννεύω.
κάπφαγε comedit, pro κατέφαγε.
καῤῥέζειν perficere, pro καταῤῥέζειν.
ὑββάλλειν ſubiicere, pro ὑποϐάλλειν.
καμμὲν pro κατὰ μὲν; καδδὲ pro κατὰ δέ.
καγγόνυ, pro κατὰ γόνυ in genu. κάῤῥα pro κατ᾽ ἄρα.

ARTICVLVS II.

DE LICENTIIS IN NOMINIBVS, Participiis, Articulis, Pronominibus.

1.

POëtæ vtuntur vocatiuis pariſyllabis in τα pro nominatiuis ἱππότα νέστωρ Eques Neſtor. νεφεληγερέτα ζεύς nubes congregans Iupiter. Quos tamen dicunt aliqui eſſe nominatiuos Macedonicos.

2.

Omnibus datiuis pluralibus in σ deſinentibus addunt Poëtæ ι. λόγοις Poët. λόγοισι, μούσαις μούσαισι, τιμαῖς τιμαῖσι. Vbi obſeruas manere ſemper eundem accentum in eadem ſyllaba.

3.

Dictionibus terminatis in σι addunt Poëtæ ν non modo ſequente vocali ſed etiam conſona pro arbitrio.

4.

In nominibus impariſyllabis formant Poëtæ datiuum pluralem à nominatiuo duali, addita ſyllaba σι, vel σσι, pro arbitrio;

vt κυών, κυνός, κύνε κύνεσι, vel κυνέσσι, canibus; κυσί communiter.
ὄρος mons τȣ ὄρε⊕ ὄρȣς τώ ὄρεε inde ὀρέεσι vel ὀρέεσσι, Item ὄρεσι vel ὄρεσσι, seruato duplici εε, vel altero deleto. σώματε σωμάτεσι, λύοντε, λυόντεσι vel λυόντεσσι. Ita in nominibus in ευς υἱέσι filiis, δρομέσι cursoribus.

5.

In nominibus neutris in ας, in obliquis inserunt Poëtæ alterum α; vt κέρας cornu κέρατος, κέρατι, Poët. καράατ⊕, κεράαϊ & sic in aliis casibus, κεράατε, &c.

6.

Accusatiuos singulares imparisyllabos formant in α τὸν βότρυν recemum p. βότρυα τὴν ναῦν nauem p. νῆα, τόν βȣ̃ν. p. βόα; τόν ὄφιν ὄφια.

7.

Ex declinatis imparisyllabè auferunt alterum ε in plurali; βασιλέες. p. βασιλέ'ς. ἀληθέες, p. ἀληθές.

8.

In patronymicis in ιδης inserunt Poëtæ. α ante δ. λαερτίδης, Poët. λαερτιάδης; πη-

λείδης, πηλήϊδης πηληϊάδης in quo duplex licentia, diſſolutio diphthongi ει in ηι, & additio vocalis α.

9.

Poëtæ addunt nominibus & participiis φι, aut φιν. Vt φαινομένηφι, ὀυρανίηφι.

Obſerua 1. mutare α in η more Ionico, vt βίη pro βια vis βίηφι; νευρά neruus νευρῆφι.

2. Accentum manere in eadem ſyllaba vt exemplis patet.

In declinatione maſculina auferunt σ vel ν. Vt ςρατός exercitus ςρατόφι, ὀςέον ὀςεόφι.

Obſerua accentum in hac declinatione ſemper eſſe in penultima; πόντος pontus ποντόφι.

In declinatione impariſyllaba variè formant.

In neutris in ος ά duali addito σφι, τὸ ςῆθος pectus ςήθεσφι, τό ὄρος mons ὄρεσφι. Inuenitur ἐρέβευσφι.

In terminatis in ων fit ά genitiuo ablato σ, vt κοτυληδών κοτυληδόνος, κοτυληδόνοφι.

Obſerua hæc omnia, ſic formata, eſſe indeclinabilia, & vſurpari inuariata, in omni numero & caſu. Vt ἐκ ποντόφι ex ponto. ἐξ εὐνῆφι ex cubili. ἰλιόφι κλῦτα τέχεα,

Ilij in clyta mœnia. ἀπ᾽ ὀστόφι ab offibus.

ARTICVLVS III.

DE LICENTIIS IN STRVCTVRA Carminum.

I.

A Nullo pene vocabulo abstinent, quantumuis anomalum sit à legibus pedum Heroicorum ; vnde.

1. Ex quatuòr vel tribus consequenter breuibus, vnam pro arbitrio protrahunt: ἀθάνατος Immortalis, πριαμίδες & similia. Ita Latini in Italia memoria, & similibus.

2. Inter duas longas breuem producunt. Vt παμφαής, α, breue producitur; κωκύω, υ breue, φοινικόεις ι breuiatur phœniceus. σιγαλόεις, α breuiatur admirandus.

2.

Pro arbitrio vocales breues finales elidunt vel non elidunt. Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. fili mi, quale verbum exiit à Claustro dentium. Latini semper elidunt, nisi licentia non imitanda. Virg. & succus pecori & lac subducitur agnis.

Obserua

Obſerua breues vocales & diphthongos *αι* & *οι* elidi poſſe, non autem longas, nec *ᾳ* & *οι* Optatiui.

Deinde obſerua, non exteri vocalem ſcriptam in menſura carminis, ſi enim nonoluerint vt appelletur, exterunt omnino, & apoſtropho notant.

οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκε.

Iram perniciosam, quæ infinitos dolores Græcis attulit.

3.

Rara apud Latinos carmina ſpondaica vel in monoſyllabam deſinentia, aut in hyperdiſſyllabam, communia apud Græcos

κάλῳ νηγατέῳ, λευκὸν δ᾽ ἦν ἠέλιος ὥς.

